



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Tarasivs Ep. 25. Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Magnum deinde fecit populi concurrentis furor. Ornarunt præ reliquis testes duo mendaces iidemque carnifices, ut qui primi MATTHIAM lapidibus petierunt. Hos ille velut acclamantium symbola accepit, veluti que triumphi sui decora tumulo secum inferri præcepit. Denique ut integer suus pompæ honor constaret, secures, quæ præferri alias solebant, ipse triumphator tulit. *Ex Ioach. Perionio.*

Primum adeptus est gentium S. Matthias, quia prius sibi met didicit principari. Sic namque ad veri honoris conscenditur cathedram, ut ante quis sibi, deinde dominetur & ceteris. Nunquam aliis bene præerit, qui sibi extiterit nequam. B. Laur. Iust. serm. de S. Matth.

S. TARASIVS EP 25. Februarij.

PER gradus honorum, ex quibus alii præcipites ire solent, ad astra TARASIVS evasit. Consul primò, tum inter eos qui ab arcanis literis Imperatoribus erant, Princeps; demum Archiepiscopus Constantinopolitanus infulam, quam alii gemmis ornant, ipse virtutibus ornavit. Has inter easque multas & pulcherrimas potissimum emicabat animi demissio, quâ TARASIVS pauperibus, quos multos & alebat & vestiebat, quotidie cibos ex suâ mensâ submittebat, ipse carptor & persæpe (sub festa Paschalia præcipue) ipse dapifer. Atque hæc ille virtute tantum abest, ut auctoritatem suam, quâ erat, imminutum iret, ut talis etiam Imperatoribus fuerit formidandus. Supplicem certè ad Aram, quem regis cohortes per vim abstraxerant, reddi sibi suis ipse Fecialis fecit. Constantino Imperatori, auctore amore vago, repudiium meditantis facientique unus ferè sese opposuit.

suit.

fuit, purpuramque purpuræ, coronam coronæ, sceproque augustius pedum obijcere non dubitavit. Quidquod vel mortuus vivo Leoni Imperatori terrori fuit. Cùm enim hic nomine etiam suo crudelior templa passim, & in his imagines Dei Divorumque vastaret, somniavit TARASII imperio, à nescio quo Michaële se confossum. Et risit fortè mortem, cùm vigil vivere se vidit; sed die sexto à Michaële Balbo confossum potuit dehinc sine superstitione somniis credere. *Ex Surio.*

Heu quàm lamentanda vices, quando desperati apud homines possi debunt spem divinam, & humanis bonis præditi bonis caelestibus fraudabuntur: & hoc facit thesaurus, qui cor hominis aut per eleemosynam levat in calum, aut per avaritiam demergit in terram. S. Pet. Chryf. serm. 22.

S. PORPHYRIUS EP. 26 Februarii.

PORPHYRIUS Hierosolymæ æger quotidie loca sacra cùm pedibus non posset, genibus ambulabat, expeditissimam viam ad cælum credens, Christi vestigia. Et fuit cùm ad pedem Calvarix montis triste oculis spectaculum, jucundum tamen animo objectum est, Christus cruci affixus, & ponè felicior è geminis latro. Igitur cùm latronis verbis etiam PORPHYRIUS Servatorem compellasset, jussit hic descendere latronem è cruce & opem ægro ferre. Descendit, osculum tulit, manuque peramanter prehensum ad Christum, ut secum itaret, invitavit. Interea properanti obvius ipse in amplexum Servator ruit, jussitque dulce onus crucem suam ferre. Tulit lubens & verò laboris pretium sanitatem abstulit. Proinde sacris initiatus PORPHYRIUS, & custodiæ sanctissimæ
Cruceis